



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Malvm Svmmi Mali Sive De infinita grauitate peccati  
mortalis Libri Qvinq[ve]**

**Pelecycus, Johannes**

**Monachii, 1615**

XVI. Angeli benefactores maximi peccato mortali offenduntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52025)

CAPVT XVI.

*Angeli benefactores maximi peccato  
mortali offenduntur.*

**H**Ominē enim primū, sua  
quadam ratione, hoc ipso  
progignūt, quòd cœlestium or-  
bium, vt & siderum motus ci-  
ent, à quibus, vt Philosophus  
docet, & Doctōrū ab eo opinio  
non abludit, Lunæ subiecta om-  
nia produci generariq; solent. In  
lucē editū, ex officio sibi à Deo  
imposito, *in vjs omnibus custodiūt, ps. 9. 11.*  
*manibusque eum portant, ne ad lapidē*  
*ille pedē offendat, aliudue detrimē-* *Exo. 23. 20.*  
*tum accipiat. Exēplo sint Loth,* *Gen. 19. 17.*  
*Iacob, Daniel in lacu leonū &c.* *Gen. 32.*  
*Dan. 6.*  
*Administratoij item spiritus sunt in* *Hebr. 1. 14.*  
*ministerium missi propter eos, qui*  
*hereditatem capiunt salutis; Vnde*  
*& assiduē laborant ne quis pec-*  
*cato se astingat, inquē eum finē*  
*aduersus cacodæmonis insidias*

D 6 nos

nos muniunt, & super aspidem  
& basiliscum ambulant, & con-  
culcant leonem & Draconem.  
Quod si quis ijs se alligasset, ei  
illa exprobrant, ad sanio-  
rem mentem reuocant, ad meliora  
hortantur, assiduisque suggesti-  
onibus, vt Bernardus docet,  
eum hac vel simili oratione mo-  
nent: *Delectare in Domino, & da-  
bit tibi petitiones cordis tui, expecta  
Dominum, & custodi viam eius: si  
moram fecerit, expecta eum, quia ve-  
niens veniet, & non tardabit &c.*  
Lapides, vt verbo dicam omnia,  
vivos poliunt in domus cœle-  
stis ædificationem. Assistūt tan-  
dem morientibus, & ne repro-  
bentur, modis omnib. laborant,  
pro libertate filiorum Dei suspi-  
rant, gladium de ostio Paradisi  
remouent, vt possint edere de  
ligno vitæ. Quod si cum pie-  
tate dormitionem acceperunt,  
com-

*Serm. 31.  
in Cant.  
ps. 36. 4.*

commissum sibi depositū, communi Domino præsentant, in sancta sanctorum ducunt, vbi Deus facie ad faciem videtur, easq; suis coaptant locis, pōderatis eorū meritis. Beneficia hæc, quæ & multa sunt, & magna, & perpetua, gratam memoriam requirunt, vt & summam venerationem ac honorē. Sed, prohdolor, benefactores tanti à peccatoribus grauiter offenduntur. O peccati mortalis malitiã plus quàm barbaram.

## CAPVT XVII.

*Cur Angeli peccato mortali offendantur?*

**I**Deo primùm, quòd ipsorum *Iob. 26. 11.* Dominum, coram quo *cæli columna contremiscunt, & pauent ad nutum eius;* & Seraphini ipsi in conspectu illius faciem, & pedes suos velant, audeat is offendere,

D 7 iniu-